# AD CARDINALITIAM.

## QVÆSTIO MEDICA MATVTINIS DISPVTATIONIBVS AGITANDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XVIII. MAII,

MAGISTRO PETRO COLLIER DOCTORE MEDICO MODERATORE.

*An temporum & ætatum mutationes vt morborum parentes ſic vindices?*




VALIS aër, tales ſpiritus & humores, humorum naturam partes ſortiuntur, partium conſtitutionem bona vel mala ſequitur totius διαθέσεως; ideo ver temporum anni ſaluberrimum, quod tùm aër natiuo temperamento magis affinis, vel nullos, vel eos ſolum morbos inuehat, qui grauiorum προφυλακτικοὶ potius, & naturæ ſe ſe liberantis opera putandi ſunt, quam ipſius functionum veræ læſiones: ſic verê, variolas & morbillos, felix alioquin puerorum, hæmorrhagias, adoleſcentum ætas, ſuo bono potius incurrit, quam vitio temperamenti, quod nimirum ijs eſt morborum multorum ἀπαλλακτικόν, vt quo ferè nec phlegmonas ante pubertatem pueri, nec podagram ante venerem puberes patiuntur.




VNT tamen adoleſcentia (quæ veri analoga) & quæ iuuentus æſtati, morborum feraciſſimæ: idque, tum eadem inter ſe, tum vtrinq; diuerſa ratione, nam & morborum par eſt in illis irritatio, & frequens in his, tum longorum citius ſolubilium, tum acutorum repentina generatio: quibus vtiuenes corripiuntur facillimè, ſic & ab ijs minus periclitantur, & facilius mutata tempeſtate vel ætate vindicantur, nimirum enim, vt morbis longis confert plurimum regionis, temporis, & loci mutatio, ſic & in ijs potiori iure, qui ſunt ætatum aut tempeſtatum proprij, ſalubrius nihil, ſuperueniente earum vnaque cauſſarum morbificarum commutatione, vt qua iuuenes non acutis ſolum plurimis, ſed & arthriticis ſuis in ſenio facta velut concoctione liberantur.



Ec enim, vt morborum eſt repentina generatio, ſic & generationis eorum cauſſa, vel repentina ſolutio: quod vt paulatim ad λύσιν, declinant, ſic ex cumulatis ſenſim diætæ (per ſingulas ætates & anni quadras diligenter immutandæ) commiſſis erroribus, generetur τὸ ἐπιδεκτικόν, ex quo, facilis in morbum procliuitas, cum præcipuè tempeſtas intemperiei ætatis analoga, τὸ ποιητικόν, vehementius effecerit: hinc autũnus tabidis malus, periculoſior ætate conſiſtenti, qua præſertim & melancholiæ, & morbi comitiales, & apoplexiæ, & horum ἀπαλλαγαί, quartanæ febres oriuntur: ætatis tamen beneficio procul dubio deuitandæ, ſi ſpontè precedunt hæmorrhoides, quæ alioquin excitatæ faciunt ad ſalutem, dum inclinante magis ad ſenium ætate, vel ad hyemem tempeſtate, mutationum merito, & quartana grauiore, & cœteris omnibus penitus liberentur.



VIPPE ſenilis ætas, vt hyẽms tempeſtatum, ſic præcedentium ætatum feruorem & morbos extinquit, eorum iacturam multis & longioribus & periculoſioribus ſæpè compenſatura, quales non raro profert annus climactericus, cuius (quantum aſſequor) maius eſt a cauſſarum morbificarum ſindrome, quam ab annorum numero periculum, cum ad maximam humidi per feruores ætatum deperditionem, ea coloris natiui accedat imbecillitas, quæ generationem immodicam pituitoſorum excrementorum; nec prohibere poſſit nec digerere: vnde frequentes vertigines, apoplexiæ, epilepſiæ, conuulſiones, ipſa denique καχεξία, quam, ſi forte viribus hac ętate natura ſuperior ſicciuſque temperamentum euaſerint: ſalubriores quidem aliquanto ſenes, ſed vigilantiores redditi, eoque ſicciores tabem tandem quam à pituitoſa καχεξία, declinauere, ab humoris natiui conſumptione marcidam & extremam incurrunt.



A ſcilicet eſt naturæ lex, in vita tranſigenda, vt dum per temporum & ætatum mutationes ad morborum σωζοφῶν, depulſionem κατ' ἐφόδους παρεξύνει, occaſionem ſuppeditet alijs inducendis: ſic æſtatis & iuuentæ feruor adoleſcentum & humorum vernam concitationem efferat, quorum feritatem & exuſtionem conſtans ætas ſuo damno mitigat, & autumnus intro periculosè recondit, quibus hyems & ſenecta cumulum addũt exerementorum congeriem, quę quia morborum pręſertim congenerum ſuo tempore eruptionem minatur, conueniente per ætates viuendi lege, per tempeſtates vacuatione, tum vere ineunte vel deſinente phlebotomia, tum autumno potius purgatione, ſummo naturæ bono præuenitur: expeditior quippe reddita, partam iam aut imminentem, ex cuiuſuis temporum vel ætatum mutationis maleficio noxam, ſecurius tolerare, aut eam eiuſdem beneficio declinantem, penitus abolere poteſt.

*Ergo temporum & ætatum mutationes, vt morborum parentes ſic vindices.*

Aſſerebat lutetiæ MARTINVS ROBICHON, Pariſinus anno R. S. 1617.